





I  
II  
III  
IV  
V  
VI  
VII  
VIII  
IX  
X  
XI  
XII



## INDICIUM FUNERIS,

sive

Programma propositum publicè, ad  
deductionem funeris

*Viri Clarissimi & Ornatissimi*

Dn. PETRI MATTHÆI  
VVESENBECCI, MAGNI IL-  
lius D. MATTHÆI, Juriscon-  
sulti nobiliss. excellentis-  
simique, F.

*Qui funere elatus est frequenti, prose-  
quentibus exequias omnibus  
ordinibus,*

Servestæ A. D. Nonas Majas Julianas, anno  
novissimi seculi MDCVI.

*Lib. Sapientie cap III.*

*Iustorum anime in manu DEI sunt, &  
non tanget illos tormentum  
mortis.*

SERVESTÆ

Imprimebat Christophorus Vveida, anno 1609.



## IN MORTEM.

Αγαθου.

**Q**uis stupor est mortem genetricem horrere  
quietis,  
Qua morbos finit, pauperiemq<sub>3</sub> gravem?  
Mortali patienda semel; cui nanq<sub>3</sub> revertens,  
Post obitus primos, illa videnda fuit?  
At morbi multiq<sub>3</sub> simul, varijq<sub>3</sub>, subinde  
Nunc illū excercent, nunc aliumq<sub>3</sub> premunt.

G. B.





# RECTOR ILLU- STRIS GYMNASII IN

VETERUM SORABORUM METRO-  
poli Servesta, bonarum artium & disci-  
plinarum studiosis

S. D.



MEMORIAE LITERISQUE  
proditum est, summum illum  
monarcham & caput imperij Ro-  
mani, Julium Cæsarem, cum in  
sermone epulari, apud M. Lepi-  
dum, sciscitando quidam iniecisset, quænam  
mors esset optima, ceteros responsione sua an-  
tevertentem dixisse, Inopinata. Hoc ita vi-  
ro illi, non modò animi magnitudine & forti-  
tudine præ ceteris admirabili, sed etiam excel-  
lenti sapientia prædito, & consilio valenti plu-  
rimùm; homini tamen, & quidem homini ve-  
ræ religionis ignaro, atque iccirco secundùm  
carnem (ut scripturæ verbis loquamur) sapi-

A 2

enti;

enti; atque ex eorum fortasse numero, quibus non tam mors ipsa, omnibus à natura propo- sita, erat terribilis, quàm aditus ad illam existi- mabatur difficilis; hoc inquam ita illi videri potuit: neque, ut opinor, sine ulla prorsus cau- sa & ratione. Quid enim naturæ hominis ma- gis est consentaneum, quàm à sui ipsius inter- itu, quem esse omninò judicabant istum ani- mæ à corpore discessum, persuasi quippe cari- tate illa, qua semetipsum unusquisq; nostrum complectitur, admodum abhorrere? Itaque cum non modò carus sibi quisque, sed etiam vehementer carus sit, ut ait Cicero, quis, aut quotus quisq; est, cui, morte appropinquante, *Non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu,* secundùm veteris Poëtæ versum? Quod quamvis rectè à sapientibus in vitio ponitur, meritòq; reprehendendum est; tamen, quia ferè sic afficiuntur plerique omnes, satis id ni- mirùm argumenti fuerit ad probandũ id, quod diximus, naturam scilicet sui dissolutionē per- horrescere. Verùm enimverò longè illis alia mens est, longè alia ratio est eorum, qui, cum veræ pietatis doctrina, qui est sermo DEI, sint instructi, tantùm abest, ut ab illa abhorreant, more

more eorum, quibus cum vitæ hujus luce omnia simul extingui persuasum est; ut iidem, quod Apostolo in votis fuisse unicè, de ipsius verbis cognoscimus, cupiant dissolvi, & esse cum CHRISTO; in certa & minimè dubia fiducia, quòd in hunc *σωτήρα τῶν γένους ἀνθρώπων* credentium mors, sit transitus ad vitam meliorem, & sempiternæ felicitatis veræq; beatitudinis societate. De quorum vita, cum id, quod princeps ille ingenij & doctrinæ Plato, de Philosophiâ suâ, esse illam quidem inquiring *μελέτην θανάτου, τῆς τε θεωρητικῆς, τῆς τε φυσικῆς*, gloriose prædicavit, multò certioribus atq; evidentioribus rationibus & argumentis, planū fieri ac demonstrari possit, quæ potest iisdem mors esse Inopinata? præsertim cum his ipsis, non modò, quod inter Ethnicos sanioribus & sapientioribus itidem persuasissimum fuisse cognovimus, esse in mundo DEUM aliquem, cujus ille providentia administratur, qui cursum gubernet astrorum, qui mutationes temporum, rerumque vicissitudines ordinèsq; conservet; cujus deniq; ditone atq; numine gerantur omnia, ratum omninò certumq; habeatur: sed etiam, quod S. literæ affirmant, Deū capitis ipsorū ca-

pillos in numerato habere, in ejusdemq; manu  
tempora uniuscujuscunq; nostrū esse, eidemq;  
& ossium compagem, cū in abdito etiam dū  
alvi maternæ, contextu ingenioso, atque (ut  
ita dicam) opere phrygionico fierent, non  
ignotam fuisse, ipsūmq; & rudimenta corporis  
singulorum oculis vidisse suis, eaq; spatio tem-  
poris destinato conformanda omnia, ne uno  
quidem excepto, in codice suo descripta ser-  
vasse, antequam opificij ipsorum pars extaret  
ulla, de sacrarum literarum testimonio statu-  
atur verissimum. Quorum igitur animis hæc  
firmiter infixæ sunt, penitusque insident, ijs  
haudquaquam, quæ ob quantumvis incertos  
& improvifos casus, vitæque fragilitatem, sin-  
gulis penè momentis, mors nemini nostrum  
non imminet, nullo unquam tempore, nec  
ullibi locorum, potest accidere *ἀπεσθόνητος*, mul-  
tò minus acerba, aut somni etiam quiete insua-  
vior. Quamobrem si fortè illorum cuiquam  
ita usu venerit, ut illa præfagijs quibusdam ipsi  
à DEO, qui est uniuscuiusq; nostrū, teste viro  
divino Moyse, vita & longitudo dierum, qua-  
si denunciatur, exeat ipse è vitâ lætus, atque  
evocanti



evocanti ex hac corporis custodia, tanquam,  
vinculis hujus levatus, emigransq; in æternam  
domum, & propriam piorū civitatem, gratias  
agat: sin nihil istorum denunciatum ipsi sit,  
non minus tamen supremum illum fati diem,  
alijs horribilem, faustum sibi putet; nec quic-  
quam in malis ducat, quod à parente omnium  
æterno DEO, & bonorum omnium causa, sibi  
præstitutum non ignorat. Itaque, sicut non  
temerè se nec fortuitò fatum esse novit & cre-  
atum: ita semetipsum, nequaquam cæco casu  
& volubilitate fortunæ, ex hominum vita de-  
migrare certus est; in illa fiducia persuasione,  
DEUM amantibus, quod Apostolus attestatur,  
omnia ad bonum conferre, nec quenquā no-  
strū sibi ipsi vivere, neminē item sibi ipsi mori:  
sed, quod idem ait, Domino vivere ac Domino  
mori: adeò ut, sive vivamus, sive moriamur,  
Domini simus. Sed, ut tandem eò, quò di-  
recta est, hæc perveniat quasi dissertatio, hoc  
est, ad indicium funeris Clarissimi & Ornatif-  
simi Viri, DN. PETRI MATTHÆI VVE-  
SEN BECII, de eo, tametsi ille quidem nu-  
dius quartus circiter horam undecimam meri-  
dianam,

dianam, præter nostram omnium, tum conjugis quoque dilectissimæ ibidem præsentis, & propinquorum suorum opinionem, atque expectationem, evocatus à DEO ex hac vitâ mortali & ærumnosa ad usuram immortalis & beatæ, in vivis esse desijt) tamen non est quod in animum nobis inducamus, hanc illi mortem accidisse improvisam nec opinatam, ad quam nimirum toto vitæ suæ curriculo sese præparaverat, comparatis sibi adversus illius terrores ex verbo DEI consolationis solidæ præsidij, unâ cum studijs pietatis, morum honestate, probitate, modestia, & in omni officio diligentia; tum erga æquales amore & benevolentia, erga superiores reverentia & observantia, erga parentes honore & obœdientia perpetua. Quarum virtutum specimen non obscurum edidit nobis ipsis statim in convictu domestico totius biennij, postquam annis ineuntis adolescentiæ traditus nobis commendatusque esset; tum earundem testes esse possunt oculati, qui, pro vectiore paulò post ætate, consuetudine ipsius & familiaritate, cum jucunda animorum & studiorum conjunctione,

ne, usufuere. Procreatus est noster hic MAT-  
THÆUS in hanc lucem Vvitebergæ, A. D.  
Calend. Xbr, anno orbis reparati supra mille-  
simum quingentesimum octogesimo primo,  
parentibus honestissimis laudatissimisque:  
patre quidem sibi cognomine, Magno illo  
MATTHÆO VVESENBECIO, Jurecon-  
sulto nobilissimo præstantissimoque, qui non  
docendo solum in scholis publicis, de Jurispru-  
dentia studiosis; sed omni etiam posteritate,  
editis in publicum in Jure utroque librorum  
eruditissimorum monumentis immortalibus  
præclare meritus est; matre verò matrona pri-  
maria, & sexus sui ornamento præcipuo MAR-  
THA BUCHNERA, Lipsiæ ex amplissima  
& honoratissima familia oriunda. Cùmque  
ipse & fratris, & agnatorum, & affinis, <sup>ὡν ἡ πρώτη</sup>  
<sup>ἐν εὐλογίᾳ</sup> in primis verò parentis sui, omni laude  
majoris imitatione, animum ad Juris studium  
appulisset, in eoque progressus fecisset non con-  
temnendos; anni superioris mense VIIbri, de  
matris suæ voluntate & jussu, quæ filiū hunc,  
post amissam obitu immaturo, paucorū anno-  
rum intervallo, prolem omnem tam masculā  
B • quām.

quàm femineam, unicum hunc filium habebat superstitem, & senectutis suæ, nata jam scilicet annos sexaginta, quasi baculum; atque iccirco, de instauranda ac conservanda generis sui propagine, rectè & ordine erat sollicita; hujus inquam ille hortatu magis & impulsu, quàm propria animi inductione & motu, (quòd persuasum sibi haberet id, quod Græcorum verbo tritum est, *ἡ ἐμπόδιμα τῶν φιλοσοφῶν ἔστιν ἡ γυνή*) uxorem duxit virginem lectiss. S A R A M, viri in hac civitate honorati & spectati, B A R T O L O M Æ I O S T E R O D I I filiam. Neque verò, quod plerosque, in adolescentia matrimonium contrahentes, facere videas, cum uxore ducta rem induxit literariam; quin paucorum exemplo, studium juris feliciter inchoatum, non minùs deinceps labore pertexit in defesso, ad percipiendum aliquando hujus fructum & mercedem non pœnitendam; tametsi huic tam præclaro ipsius conatui non parum imbecillitas obstaret valetudinis; qua cum ineunte ferè ætate usus esset tenuicula, tum die mensis proximè præteriti undevigesimo, in corpore cacochymico, morbisque obnoxio,  
capite

capite præterea humoribus redundante, accessit ad eam *πνευμονία*, hoc est, pulmonis inflammatio, orta illa quidem ex destillatione post usum balnei calida: qui morbus tandem, die quarta mensis hujus, mortem illi somno similem conciliavit. Quamvis enim, (quod ex relatione medici, cujus artis sollertia & industriæ diligentia, in hoc aliquot dierum decubitu minimè ipsi defuere, cognovimus) inflammatio ipsa ad suppurationem pervenerat; ac, post magnam puris rejectam copiam, non nullam salutis spem attulerat: tamen vomitæ & abscessus latitantis subita effractio, corde ob ingruentem puris impetum suffocato, inter suprema cum uxore unanimi, nihil minus metuente, colloquia, subito ei vitæ finem attulit; non absque incredibili desiderio matris nunc prorsus orbæ, conjugisque viduæ, tum soceri, affinium, propinquorum, amicorumque, propter obitum immaturum luctu ingenti, anno ætatis ipsius vicesimo quinto (proh dolor) nondum completo. Hujus igitur funeris deductioni cum dicta sit

B 2

hora

hora à meridie secunda, hortamur & rogamus  
universos & singulos, jurisdictionem scholasti-  
cam agnoscentes, ut ad illam nobiscum fre-  
quentes in foro conveniant, ante ædes, ex qui-  
bus piè ac placidissimè demortui corpus ad lo-  
cum sepulturæ ritu solenni efferetur; atque ex-  
equias has sua quoque ipsorum præsentia au-  
ctiores & honoratiores reddant; habituri su-  
preum hunc honorem communium studio-  
rum conjunctioni, tum *συμπαιδεία* hac sua & lu-  
ctus societate, in qua non parum est lugentibus  
solatij & allevationis, officium hoc, pietate  
Christiana & humanitate communi non indi-  
gnum, daturi matri infelicissimæ, & viduæ  
mœstissimæ, tum Vvesenbeciorum familiæ su-  
is in rempub. literariam & ordinem nostrum  
meritis amplissimæ. P.P. Servestæ A. D.

Non: Majas Julian: anno CHRIS-  
TI JESU MDCVI.



PARA=



## P A R A P H R A S I S.

*Psalm. XC. qui inscribitur Preces Moysis viri di-  
vini, causamq; exponit miserie & erumnarum  
generis humani, & in primis brevitatis ac fuga-  
citatís vitæ hominum, nulli veterum  
Philosophorum cognitam, unã  
cum malorum istorum  
remedio.*

*Exposita metro Alcaico.*

*Domine refugium factus es nobis, &c.*

**N**obis receptū, rex superūm, DEUS,  
Nobis asylum pandis in arduis;  
Nascentis à primordio ævi,  
Perfugium statióque cunctis,  
Quotquot parentum gentis Adamida  
Auctore stirpem principe ducimus,  
Natique, natorūmque proles,  
Cum serie innumera minorum.  
z Qui, se priusquam montium in edita  
Soli extulissent planicie juga,  
Tellúsque staret, dædalique  
Hoc opus orbis, es orbis ipse,  
Rerūmq;

Rerúmque origo & conditor omnium. :  
Sed finis expers conditor, & sui  
Non conscia exorsus origo,  
Principium sibi sempiternum.

3 Terræ creatum pulvere, qui genus  
Mortale reddis primigenæ luto;  
Terrena, mandans, hinc faceffe  
Massa, tuam repetens parentem.

4 Nam mille fasti vix morulam tibi  
Præstent diei, præteriti recens,  
Quadrantis aut noctis, sua quem  
In statione vigil peregit.

5 Torrentis annos tu rapis impete:  
Ceu, dormientes, quæ modò luserat,  
Se proripit pennis imago;  
Quàm citò languet olus virescens:

6 Qualis galeri purpureum decus,  
Sub lucis ortum, flos novus explicat;  
Qui mox fenescens, falcis ictu  
Vespere cum redeunte marcet.

7 Hoc ira nobis dat tua, fontibus  
Hoc fert furoris flamma, oleum vorans  
Vitalis auræ, cujus haustu  
Vita peremta fugit sub umbras.

Hæc



8 Hæc culpa nostri criminis est, tuos  
Quod nusquam ocellos præterit abditum,  
In luce ponentis, tenébris

Quæ timor involuit pudórque.

9 Accensus istis nos furor occupat  
Ævi citata præcipitis fuga;

Annique labuntur, diésque,

Irrevocabilis ut volat vox.

10 Bis lustra septem vivitur; his duo  
Vivaciori si cui affluant,

Ætatis huic florem avolantis,

Cura labórque ferendo carpunt.

11 Et quis sagaci sævitiem putans

Hanc corde, secum vindicis exigit

Peccata plectentis furorem,

Obsequiique cavet pudore?

12 Vitæ fugacis curriculum breve

Da computantes, ad sapientiæ

Attentionem hoc imminentis

Admonitu necis excitemur.

13 Conversus ad nos, Jêhova, pedem refer:

Iræ furentis quem statues modum?

Pacare servis, atque mitem.

Accipe in hos animum misertus.

Da so-

14 Da sole primo nos tua amabili  
Gustu favoris gratia inebriet,  
Quod restat, ut jugi madentes.

Lætitia peragamus ævum.

15 Tristem laborum, quos tulimus, moram  
Blandæ quietis gaudia farciant;  
Afflictiones atque grata

Prosperitas vice mutet arctas.

16 Ostende servis illa parentium,

Miracula seclis non semel edita:

Prolique servorum benignus,

Ede tui specimen decòris.

17 Jehova, voltu hos irradians tuo,

Qui nostra lætos ducat ad exitus

Consulta, fortunet labores,

Atque operas manuum gubernet.

### PSAL. XCIV.

Consolans & confirmans Ecollesiam CHRISTI JESU,  
contra impressionem Satanæ & hujus flabellorum, sub-  
jecta hypotyposi Tyrannidis utrorumque, di-  
vina & humana jura violantium.

DEUS ultionum Dominus, &c.

**O** *Qui facta vides oculis mortalia justis,*  
*Huc Deus, oro, Jehova ultor, Deus huc*  
*ades ultor: Tere-*

Terebus licet humanis, fanaticus error,  
 Pertendens dubio verti mortalia casu,  
 Sermo veat, vacuumq; ira, expertemq; dolore,  
 Immortali ævo summa cum pace fruente.  
 Si concessa peto, jubar exere numinis orbi,  
 Et pœnis te prode tuis, ac vindice dextra;  
 Quâ pateat, certis parentem legibus orbem,  
 Quod ratio regat, & fato prudentia major.

2 Tolle gradū, judex mundi conscende tribunal,  
 Hostis & elati fastum contunde superbum,  
 Ut luat exemplis patrata immania diris.

3 Quonam usq; impietas, quonam caput us-  
 que, Jehova,  
 Efferet impietas, animos à crimine sumens?

4 Quo scelus usq; cohors sceleri devota, loquetur,  
 Ipsa sibi plaudens præfracti vocibus oris,  
 Et flatu tumefacta suo, popularis & aure?

5 Hi populum tibi dilectū crudelibus urgent  
 Imperijs, & quos heredum jure, Jehova,  
 Sacratos tibi legisti, pessundare certant.

6 Nec viduæ parcit furor hic: peregrinus inulto,  
 Pupillusq; manus istorum, sanguine tingunt.

7 Que patrans, rabies hæc secū credula garrit;  
 Nil horū videt iste Deus, nec fanda nefanda

C

Jacobi

Jacobi Deus iste ullo discrimine pensat.

8 O mentis gens amentis, quem stulta veterni,  
9 Quem pones, vesana, modum? prae teruolet  
aures

Illius anne sonus, qui gyros extudit auris?

Quiq<sup>3</sup> oculorum orbis finxit, sit luminis orbis?

10 Supplicio totas qui mulctat vindice gentes,  
Unius ad furias conniveat, unius ausa?

Notitiamq<sup>3</sup> sui qui nobis indidit, ejus

Ullane notitiam fugiant incognita rerum?

11 Abstrusos novit sensus, arcana Jehova

Scrutatur cordis, vota & spes ridet inanes,  
Quae versant hominū mentes, curisq<sup>3</sup> fatigant.

12 O ter felicem, cui legum scita sacrarum,  
Cui verbi divina, DEUS, mysteria pandis;

13 Sortis ut excipiat, spe firmus, tela tonantis;

Impavidusq<sup>3</sup> animum perstet, dum fossa re-  
condat

Ore malum, putei, quem foderat improbo, ore!

14 Namq<sup>3</sup> Jehova sui gnarus, quod sancijt olim,  
Federis, haud opis auxilio patietur egentem,

Quem sibi selegit populum, heredemq<sup>3</sup> tuetur.

15 Scilicet, in priscum seclis redeuntib<sup>9</sup> aurum,

Moribus à pravis, per versoq<sup>3</sup> ordine rerum,

Judicium

Judicium ad juris normam redigetur & equi,  
Judicis officium Domino excercente foriq<sub>3</sub>,  
Ac plectente malos, cœtu applaudente piorum,  
Et partes implente suas rumore secundo.

16 Ecquis enim mihi suppetias advenit in ho-  
stem? (ausus)

Quis fraudum atq<sub>3</sub> doli insidias, scelerumq<sub>3</sub> tot  
Elisit? pro me caput objecitq<sub>3</sub> periclis?

Quis porroq<sub>3</sub> minas irarum franget atroces?  
Et fastum premet, ac tumidos sub pectore  
flatus?

17 Hoc opis omne tuæ munus: munimine fultum  
Hoc nisi me servet spes certa, silentibus olim  
Adscitus, muta tumuli sub mole jacerem.

18 Sed tua me bonitas miserata, Jehova, labantē,  
Et jam procidium duplicato poplite, firmat,

19 Suffulcitq<sub>3</sub> gradum: curisq<sub>3</sub> ingentibus agræ,  
Et raptæ huc illuc præstat solatia menti.

20 Ecquid te socium sibi speret inulta tyrannis?  
Injustam quæ vim, prætextu juris obumbrat,  
Dissimilemq<sub>3</sub> animo gestit componere voltum:

21 Inq<sub>3</sub> caput coit insontis, culpamq<sub>3</sub> nefandam  
Intendens, falso condemnat crimine justos,  
Sanguinis innocui sitiens, cædisq<sub>3</sub> bonorum.

Seviat

22 *Serviat illa licet, legumq<sup>3</sup> repagula frangat,  
Et fastu humana suo, divinaq<sup>3</sup> jura  
Proculcet, dum frena fluunt laxata furor;  
Instar inaccessæ, valloq<sup>3</sup> & turribus, arcis,  
Et rupis, nullo impellendæ turbinis ictu,  
Est mihi perfugium, custosq<sup>3</sup>, Jehova, salutis.*

23 *Ille malum meritis temerataq<sup>3</sup> jura rependet:  
Ut scelus auctorem inveniat, fraus inq<sup>3</sup> magi-  
strum, (det.  
Hoc reddente vicem, stirpis cum clade redun-  
Improbilas perdente cadet, perdente Jehova.*

Gregorius Bersmanus.



Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3  
002 690 756



56.

VD77







## INDICIUM FUNERIS,

five

Programma propositum publicè, ad  
deductionem funeris

*Viri Clarissimi & Ornatissimi*

DN. PETRI MATTHÆI  
VVESENBECCI, MAGNI IL-  
lius D. MATTHÆI, Juriscon-  
sulti nobiliss. excellentis-  
simique, F.

*Qui funere elatus est frequenti, prose-  
quentibus exequias omnibus  
ordinibus,*

Servestæ A. D. Nonas Majas Julianas, anno  
novissimi seculi MDCVI.

*Lib. Sapientie cap III.*

*Iustorum animæ in manu Dei sunt, &  
non tanget illos tormentum  
mortis.*

SERVESTÆ

Imprimebat Christophorus Vveida, anno 1609.

